Denhoff Georgius Albrechtus
Episcopus Cracoviensis
Collegior. Soc. Jesu Crac. Lubl. et Sandom. Gemma
Praesulum.

H.



GEMMA PRÆSULUM,

ab

ANNVLO MAIORE

SVPRA TERNVM VAVELLI DIADEMA

PROVECTA,

Celsissimus

SEVERIÆ & S.R.I. PRINCEPS.

Illustrissimus & Reverendissimus

CRACOVIENSIS ANTISTES

DOMINVS DOMINVS

GEORGIUS ALBRACHTUS DENHOFF,

applaudēte sub exordia Inaugurationis,

Regio-Episcopali Cracoviensi

Dioecesanis, Lublinensi, Sandomiriensi.

Societatis JESV Collegiis,

ANNO DOMINI MDCCI.

CRACOVIÆ.

Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S.R.M. Ord: Typ:

- - - Te, radiantium
Nexus Coronarum ; Sereni
Regum Apices, Lituiq;, circùm;
Mitræq; fulgent & DIADEMATA.

Sarbievius.

PRINCEPS ANTISTES

QVidquid, Sapientiſsimæ Celſitudinis Tuæ, Scipioni, tanquam Palladis haſtæ, adſternit breve folium; niſi Teipſum legeris, vile prorsùs eſt, ac exiguum. Styli Majeſtas, infra Nominis Auguſtam Dignitatē; artifices radii, ne inumbrare quidem nôrunt, altiſsimam Virtutum meridiem; apex omnis, in adorationem compoſitus, humilis cadit. Vt Cæſar,* ſuo nonniſi potuit ſcribi calamo; ita, Magne DENHOFF celebrari deberes Ore Tuo: tum demum, par ingen-

* Iulius Cæſar, ipſe, ſuæ, Auctor Hiſtoriæ.

tibus meritis, contingeret oratio. Nos, quia minùs comptam advertimus, fecimus divitem ſvadam. Adornatur PRÆSVLVM GEMMA; ſic merebitur pretiū à materia, quod ab arte deſperat. CANCELLARIVM Regni, Apelleæ cuperent ſcribere ceræ; rudi ære, obærata PRÆSVLIS Clemētiæ, impreſsit Societas? Ignoſce Princeps. Id unicū petimus, animū æſtima. Quid, eruditā fatigas palpebrā? imparē fatemur panegyrī. Quæcūq;, poſteritati, voluimus cōmendare; uno obtutu (ſi tamen non deſpicis) complecti potes.

Major ſit quamvis, eſt Te minor Annulus; ergo
Tot Soliis affine CAPVT, ſubmitte Coronæ.
Regius es Sanguis; poſcunt Diademata, frontem
Cognatā; & Phæbo dignos vel Apolline, Crines,
Quos, ROMANA diu velavit Laurea, Vittis
Innectens Vittas, ardet Regale SERENVM.
Pontificum Gemmam, cumulatior ambiat orbis
Aureus; Auguſtæ MENTI non ſufficit unus,
Da triplicem Vavelle; Pedes incinge Coronis,
Ornet Roma Caput.

SIve Muneris, ad normam posterorum exacti, dignitatem; sive Nobilissimi purpurâ Sanguinis, & merita Virtutum, vocemus in suffragium: plures innectent se, DENHOFFIÆ Frōti, coronæ. Gens hæc, dedit Latio Pontifices, Aragonibus Reges, Principes Imperio, Poloniæ Senatores; tot Diademata, Laureæ, Tiaræ, in Tuum volvuntur Caput, PRINCEPS; ac velùt Atlantis vertici Sidera, serenitates innituntur. Si gravat illustre pondus, fulcire Te, Sceptro potes, non Præsuleo tantùm Scipione. Sed quid adeò repentè, intensum Generis jubar perstringit oculos? Vtcunq; nullà, priusquàm Orbem ingressus, eminuisses Majestate; Tecum est nata, crevit sublimior Insulis, Tiaris altior, quia Tibi par, atq; coæva. Proinde, lentiùs incedant Avi Proaviq; dixisse debueram: non se moveant Throno & Curulibus, veniet supplex ad illos oratio. Nunc Regni proferemus Ceras; deinde Majorum. Vtrinq;,

Insigne Capituli Cracoviensis, tres Coronæ.

super VAVELLI DIADEMATA ascendenti, triumphalis assulgebit splendor.

Aliquot, annorum coronam circuagunt, lustra; dum, cunctis ad invidiam ætatibus memorandus ille, Orientis Occasus, Poloniæ Anima, Scutum Europæ, quo non surrexit major, IOANNES III; fessum victoriis Caput, in Tuum, MAXIME

Mun⁹ Cancellarii.

PRINCEPS, Pectus reposuit; & in partem curarum, oblato CANCELLARII honore, invitavit. Convolàrunt illico Aquilæ, Solem in Te, veneratæ. Inaugurationis diem, gemmis notavere calami; Sigilla, æternæ memoriæ consignàrunt; doctà, se tractandas Manu, obtulerunt Ceræ. Insedit capacibus humeris, negotiorum moles; nec sensisti onus, cui succubuisset Alcides. Nobilitatis insignia, Consiliorum Augustale, securitas Legum, ne in ruinam propenderent, ad Te sunt inclinata. Vnam, sustinendæ Reipublicæ, manum; alteram, Solio admovisti. Et certè, parem ingentibus ausis, ac planè Regalem sortitus Animum, poteras, divisum tenere Imperium. Imò poteras, absq; ulla præcelsi diminutione Spiritûs, integerrimis moribus, Te Aulæ

par-

partiri & Senatui, Curiæ & Majestati, utriusq; æquâ lance particeps, REGI, faciem Patriæ; REGNO, supercilium Regale proferre. Quàm gloriosè, amborum Personam gesseris, supra calamum est & artis colores: corrumperet qui vellet Ideam imitari, fatisceret qui optaret assequi. Dicent tamen (nihilq; gratius, encomio addi poterit, præter veritati consonam dictionem) quotquot ex Orbe collectæ aures, à Throno promentem Oracula audivêre: CELSISSIMVS DENHOFF, penetravit Regem. Ille, IOANNES; Hic, VOX. Ille, Polonus Alexander; Hic, Ephestio. Non meminit, unquam ita se locutam, Majestas. Assurgebat olim Diademate; nunc augustior, Ore cunctis eminet. Submissâ licèt gravitate, pondus verborum spargat; vocali famâ implet Vniversum; prætergreditur Caucasum; Alpibus refracta, multùm tamen, impressæ auctoritatis retinens, Vrbem Orbis Dominam pererrat; meretur apud Hispanos reverentiam, applausum in Galliis. Vide CELSISSIME, quò, Solii provexeris dignitatem. Tuo crevit eloquio; illis, quas loqueris, æstimata gēmis.

 Re-

Regnorum Legati, jamq; Tui Oratores; extra se, (parum erat, limites reliquisse Patrios) Svadæ admiratione defixi abiêre, ut eam pertingerent. Non unius Regni, Magister appellari dignissimus, Ministri Statûs, titulum elegisti. REGIS CANCELLARIVS, *omnium Mundi* REGVM, *esse poteras. Talem habuisse, maxima censetur Throni gloria; inter encomia supremi Capitis, numerabitur Tui, facũdia Oris.*

Nec minùs feliciter, Patriæ vultum reddis. Vnus Tu, Lechia universa. Provinciæ, ad compendium reductæ, amplissimum Reipublicæ Corpus componunt, in Tuo. Occurris illius membris, ùt Tuis. Pectore, Senatum complexus, vicissim portaris animo; auream Libertatem, simili foves mente. Non pulchrius, nacta creditur domicilium, Iovis Capite, recepta Pallas; quàm intra Tui, Sacrarium admissa Verticis, salus publica. Vt valeat optimè, impendis opes ingenii; consultissimæ, vires prudentiæ; sudores quoq; largiùs eliquatos. Reddãt superi annos, quos Patriæ addidisti, de Tuis; auro ducant Parcæ fila, Præsulũ Gemmæ. Non sufficit Reipublicæ & Solio, una Tui

ætas,

ætas, vive ſecula. Talia ſtrictim ãnotamus, cùm, triumphale adſtrepit murmur. Virtutẽ DENHOFFIAM, *Seculorum ambitu coronandã,* AVGVSTI II. *oraculo, omniũ voto, ſupra ternũ* VAVELLI DIADEMA *evehi. Ægrè ſe quidẽ, docto avellit pollice,* REGNI ANNVLVS, *tãtâ dexteritate anguſtior, Digiti attactu factus pretioſior. Impreſſo gemuêre dolore, ſignatoriæ Gẽmæ; diriguerunt Ceræ, ut quõdam, Niobes ſimulacra. Aquilæ verò, nondũ audent avolare; notãt iter, deſignãt oculis abeũtem; ſi aliquantùm receſſeris, iterũ viam relegunt; iterum, notam repetunt Manum. Cæterùm, dabis fidem* PRINCEPS; *mæſtam honore Tuo, frontem, amor obducit non invidia. Minora faſtigia, diutiſſimè optant detinere Virũ, cujus meritis erigũtur. Proprio, ſe metiũtur emolumento, non virtute gerentiũ, quãdoq; celſiore. Sic hoſte circũdatæ Vrbes, adſtricta in catenam, ãnulorũ ſerie, Deos ligavêre, ne migrarẽt aliò. Et cõſciæ, offuſæ caliginis, noctes, affigũt Cælo Sidera. Similẽ, affectûs erga Te legẽ, advertet poſteritas, ubi breves haſce perlegerit literas, quibus, abeũtem proſequitur honor. Datum ſub Annulo Regni.*



Convolate Aquilæ:

Magni, ſcribimus merita, CANCELLARII.
Huc calamos:
elegantiùs notabunt Nomen,
publico, magis attriti, Munere.
Colligite, ſupplicantium, breves codicillos,
dabunt volumen laudum.
Exauditæ indigentium chartæ, conſervant encomium,
cedro perenniùs.
Iam, quod poſteris legat fama,
prædatrices Aquilæ, raptim connotate.
Quia memoriam fugiunt,

com-

comprehendi debent paucis.
CELSISSIMO DENHOFF,
Fulmen Orientis, Regni Ceras accendit;
ut: commodo Patriæ, intensiùs prælucerent.
Obtulit Majorem Annulum:
Arrham Coronarum; minorem veluti Coronam.
Vt, Ore Gratiarum, loqueretur
IOANNES III;
Illius Ore locutus.
Regalem, accepit cum Sanguine, Naturam,
Regiam, Dignitate gessit Personam.
Temperavit Eloquii flumine,
ne intuentium perstringeret oculos,
Serenitas Majestatis.
Annulo, excessit Herculis Gallici catenam;
longa ibi, fabularum connexio,
hic, dependent Oracula.
Annis 12, & ampliùs, tractavit Ceras,
nemo diutiùs, illustriùs nemo.
Pretiosas virtutes, diu tenuit Patria, sub Sigillo;
Poterat, Regnum Ore mereri.
Spirans Majestatis Imago, debuit coronari.
Itaq;, AVGVSTVS II.
Regale dedit Munus, VAVELLI DIADEMATA
En: *Majoris Pondera Gemmæ.*
Ignosce *SERENISSIME.*
quid contulisti, quod non habuerit?
Mitram Ducalem, & Infulam?
Pridem Ille, Tiarâ insignis & Domesticâ,
S. R. I. Mitrâ.
CANCELLARII merita, consignet Annulus Piscatoris,
nequit Regni Annulus.
quem subvexit AVGVSTVS,
Numeret Roma inter AVGVSTOS PATRES.
Eloquentissimo, convenit Galerus, Mercurio.
Talia, jam leguntur palàm,
utpote, amoto, Regni Sigillo.

Eodem, quò CLEMENS XI. felicitati publicæ, nascitur anno.

NEc primus, Te, felicitati nostræ inaugurat, Invictissimus AVGVSTVS II. Declaravit tantùm, Craciæ Antistitem; virtutes tulêre calculum, elegerunt superi. Quàm tempestivè! in fasciis destinabàre Coronis; Tiarâ dignus & Rostris, cùm vagires. Tuas Te revocamus ad Cunas, proculdubio Magnum visuri, solis more, qui, statim ab ortu, maximus. Licet verò, illa obversetur animo dies, quando supremus olim serenitatum Orator, primam salutavit lucem; valeant tamen, damnata Astrologorum judicia, Hetrusci ritus, humanâ fide indigna divinatio. Non Circinis inarabitur cælum, ut effodiantur præsagia, vanaq́; assentationū succrescat messis. Non ab astris petetur responsa; mutæ sunt ignium linguæ. Malè audit, qui oculis Olympo intentis, aurium loco auscultat omina. Certa magìs, Vaticanus depromet Apex. Magni DENHOFF, felicior Horoscopus erit, Stella CLEMENTIS, Orthodoxo in Solem designata Cælo, Navîs Ecclesiæ Cynosura, tribus nuper avitis montibus, nunc septicolli invigilans Romæ.

Simul Vos, Maxime PONTIFEX,

Ma-

Magne DENHOFF, ingressos mundum, Sol vidit, adoravit; simul, per dispersos latè murices, vittas, insulas reptâstis; an potiùs reptârunt tiaræ, ut ætatem teneram redimirent, maturiori impares. Pronum erat, seu è Montanis, Eminentiâ; seu ab aspectu fausti sideris, prædicere illustria. Stimulabat eũtes in vota, igneum calcar; velut vaticinantibus annuens, nictabat. Itaque distinctè, affulgente Stellâ, legimus, diximus: bene conveniũt gaudia nostra, & Mundi. Summorũ, oritur par Antistitum; Orbem unus reget; Minorem alter Poloniam. Huic, Vavellus, triplex adjiciet Diadema; illi, Roma, totidẽ coronatura Stẽmatis Vertices. Vicinam superis potestatem, portendunt Montes. Assurget cæteris Pontificibus altior, postquàm Latii Culminibus, addiderit Gentilitia. Festinantem, præmisit Cælum, Stellam; veniet deinceps integrum. Vtcunquè tamen properaverit, datas claves, serò recipiet. Ita, non meditata, ex Tempore Genethliaco, occurrunt auspicia. Sed non soli CLEMENTI. Natus Tecum PONTIFEX, Tui est honoris Nuntius.



MAgna indoles, æstimatur ex comitatu.
Leo, non se immiscet gregi;
graditur cum leonibus.
Aquila, imbellem declinat alitum turbam;
in Cœlo quoq;, Delphino finitima,
pernix, velocissimo.
Ganges, mare intrat, Pactolo comitatus;
pretioso fœdere,
gemmeam tempestatem, auro innectit.
Soli, quod, astrorum consortium?
Pingit parelia, ut Socium habeat Solem.
Idem erat, naturæ consilium.
MAXIMO PONTIFICI, terras ingressuro,

Co-

Comes veniat MAGNVS ANTISTES.
Sapientia DENHOFFII,
CLEMENTIS, jungatur Benevolentiæ.
Vtraq;, utriq; coæva.
Ambo Clementes; ambo Eruditiſsimi;
jamq; tales, à natura formati.
Virtutes, Orbi regendo pares,
in Cunis habuerunt innatas.
Gemini Soles, aſpexêre lucem, à ſe profuſam.
Aut certè, Sol unicus, CLEMENS;
DENHOFF, Radius;
quæ verò, ſuper Gentilitios excubat montes:
aurora.
Ergonè Phæbus, mundum intraret, ſine radio?
Non prior eſt, luce ſuâ Titan;
ſimul oriuntur;
ille tamen, Parens luminis.
Pariter, cum Principe DENHOFF, natus,
Pater Beatiſsimus.
Aris deſtinata, Præſulis virtus,
noſcitur ex Socio,
SANCTISSIMO.
Fatalis alibi, ſiderum conjunctio:
Stella CLEMENTIS, Aſtraq; PRINCIPIS — Stemma Celſiſſimi, ex Avia Danilovicia, Luna & Stellæ.
dum cohærent, felicitati affulgebunt.
Facem præferent fortunæ publicæ,
ne impingat eligendo.
Quòd non erraverit, gemmeus demonſtrat nitor.
Vniones, non naſcuntur uni.
Simul natos, excipiunt purpuræ;
pro faſciis, ligant Orbes aurei;
Coronæ, pro Cunis.
Eædem, Maximum CLEMENTEM, Magnum DENHOFF
ambiunt, antequam coronent.
Illum, triplex, ECCLESIÆ Tiara;
Hunc, ternum, VAVELLI Diadema.
Non uni, natus uterque, Coronæ.

Claudian.

Regia origo, & affinitas.

EAdem, quæ faustum Natalem, Clementi sidere, fovit *Stella*; *tres iterum adducit Coronas. Aragonam; Polonam, in Directrice Piastorum Linea; iterum Polonam, in IOANNE III. Imperatores, Mitræ sequuntur, Murices, integerq́; DENHOFFIORVM Senatus, fascibus insignis, rerū gestarum famâ, sublimior. Pauca, succincto ac repente humi stylo, adorabimus; nam & Orbi sunt notissima, & simplex eorum narratio, censetur Panegyris. Asferhorbes, Hispani Moderator sceptri, Veronæ Aragonum Reginæ, vitam ademerat; (satis nempe est, impia voluisse) Fero, lacerandam objecit, getulô leone immanior. Succurrit Fortissimus DENHOFF; trepidantem Aragonum fortunam, gladio suffulsit; resectum Apri Caput, Gentilitiis adjecit tesseris; poterat, servatum, Reginæ Caput. Insuper, thori throniq́; consors, Socius vitæ, cujus fuerat Auctor, Posteritati suæ, primus, Coronam imposuit. Alter, Gerardus Pomeraniæ Palatinus, longo post, convoluto temporum ordine, pronubas faces, serenitatibus accendente Himenæo, Sibyllam Piastidem duxit; totidemq́; planè, Procerū,*

Du-

Ducum, Electorum insignia, cum dote venére; quot, priorem, annis fuerat subsecutus. Affusa tunc, lectissimo Vestro Sanguini, etiam Coronata, Saxoniæ Flumina. Patetq; Sibyllâ progenitos, spargitis Oracula. Tertius, in III. IOANNE, frontis apex, Scuto vos inaugurat. Tuæ nimirũ CELSITVDINIS, Illustrissimam Parẽtem, GEORGII OSSOLINII Filiam, cujus Nomẽ & Mentẽ Eruditam, Major Hæres possedisti; DANILOVICIA procreavit, Solis Poloniæ, Soror Luna. Tot nititur Sceptris, antiquissima Domus! fastigio, si quã nõ adæquat, excedit. Augusto illucet Sanguine, Consanguinitate radiatur. Eadem ex Atavis, eadem ex Agnatis; tota PRINCEPS, tota Gemmea; Coronarum titulis assueta, & officiis; primum, à quo deducitur, punctum, habet Diadema; primum fontem, fluvium purpurarum, quæ deinde, pleno volvuntur alveo. Nec unius Imperii felicitate, ubi semel incipit, clauditur. Implevit Europam amplitudine; terras inumbravit laureis. Hispania, Regum; Franconia, Heroum; Polonia, Regum & Heroũ Parens, illam sibi adoptant. Quidam enim, vetustam Gentis Originem,

(ne

(ne Cælo coævam fateri cogantur) virtutum Honorumq; stipatâ famulitio, per assurgentes trophæorum Sylvas; per tumulos & longùm projectam, necatorum hostium stragem; triumphali curru, deducũt à Franconia. Vltra progrediuntur alii, usq; in Hesperiam.

Claud: *Istorum è mente, dum:* Diademata, mundo spargit, Ibera Domus, *DENHOFFII, Gemmæ Seculi, ad remotissimas*

Alex: II, DENHOFFII Stemmatis. *partes, devoluti. Apud Italos quoq;, in Pontificibus, Purpuratis, Avitum floruit Decus. Vbiq; Nomen Præsuleum, Senatorium, Romanæ ad Sidera ferunt Aquilæ; floribus inscribunt, æterna Gallorũ Lilia; circumstant Hispani Leones, ne vel ad unguem recedat Solio. Ad Polonos tandem, per Livoniam transiêre Stirpis rami, Magistratuum securibus annexi, ostro involuti. Quærendus erat orbis alius; cùm angustior putaretur antiquus. Sub diversa cæli plaga, cædendus hostis; cùm deesset jam perimẽdus è propinquo. Pleni DENHOFFIANIS virtutibus, aliquot Regnorum Annales, velut aurum, gemmis intertexti micabãt. Novæ, Sarmatis Auctor futurus Historiæ, DENHOFF advenit. Duces, sub quorum labaris, Her-*

cules

cules mereri, victoriæ decertare optarent; Heroas, quotquot Sol vidit aut terra tulit, clarissimos; Consiliarios, Cælo potiùs quàm aliena submissos tellure; quid multa? omnē hominem, secum attulit ad nos. *Penetramus pleriq́; ultra Pyræneos & Alpes; quasi apud Sarmatas, trux Mars resideret, alibi, doctior sedem fixisset Minerva; quasi Carpati Montes, Diana tantùm, amandatâ Pallade inerraret, minùsq́; terso loqueretur ore, neglecto Tybri vel Sequana, degustans Vistulam. DENHOFF, majore Nominis nostri gloria, ab Exteris, grande vittis porrexit superciliū; apum veluti deduxit Coloniam, super imperiales Coronas, Regni Ceras, cælestia posituram dona. Conditoris Lechi æmulatus genium, fundare gentem poterat, si prævenisset. Liceat Hospes Inclyte. Paucis interpello: Taurum ineunte Sole,* agnominem sibi terram, intravit Lechus; ideo nostrū putamus: exarare Getarum frontem; mittere sub jugum barbariem; eâdem Manu, metere Segetes & Capita; semina Imperii, odrysio rigare tabo; sic deniq́; colligere lauros inter arva, ùt olim trabeatus Agricola, Cincinnatus. Tu verò, quo sidere, triumphale fixisti ve-*

Martialis.

* Guagnins. Matth. de Michovia. &c:

vestigium? Omnia Nomini tanto militàsse crediderim signa. Lancem, Diva Themis, æquissimis Areopagi Iudicibus; jubatus radiis Leo, intensam lucem, fortissimis; Aries, scintillantes armos & qualia Seres ignorât vellera, Togatis Patribus submittebat. Exhibita venienti, cuncta, humanitatis ac dignitatū officia; hucusq; perseverant. Trecētis ampliùs Solibus, (prodigiū splendoris!) implent Senatum, SIRADIENSES, POMERANIÆ, VENDENSES, MARIÆBURGENSES, PARNAVIENSES Palatini. Castellanos, Mareschallos, Succamerarios, calamo prosequi, ingens labor; numerari nequeunt, æstimari debent. Pretium alibi raritas facit; hic, selecta frequentia. Multorum gloriosè gestis, impar solvendo Respublica, evocavit aliunde præmiorum suppetias. IOANNEM CASIMIRUM CARDINALEM, parē Regibus, Majorē Principibus, INNOCENTIUS XI. creavit; sed non ex nihilo meritorum. GASPAR, SIGISMUNDI III, monile gemmeum; ad CÆCILIAM RENATAM, VLADISLAI IV. Sponsam, expeditus, torque aurea donatus, S.R.I.

Prin-

Principum, obligavit honorem. Quanti verò voluminis esset vel percensere, Bellonæ alumnos, educatos triumphatrice Domo, cui hæreditaria militiæ decora, nec plures armis coruscant Viri, quàm clades hostium, belli fulmina? Svecus, Moschi, Bessarabia, proferant roboris illorũ testimonia, nõ membranis, sed mẽbris mutilatis, expressa. Permitte CELSISSIME. Ternario Vavelli Coronarũ, casside insignes, accedant Triarii, exanimandæ suffecturi Thraciæ, si revixerint. HERMAÑVS, fati miraculô prodigiosus, nutantẽ ad Cecorã Patriæ integritatẽ, cadendo erexit. Æqué beatũ ratus, seu dare vulnera, seu accipere; æqué purpureũ, alieno rubere sanguine, ac suo. Vincendo fatigatus, sexcentis impetitus jaculis, exanimis penè, animare Polonos, auditus: si tela desunt, submitto pharetrã: evulsis pectore meo, hostẽ cõfigite sagittis. Spirat, HENRICI Morte, Grunevaldum, Cunas Iovis, Cretam cõtemnit. Cõsecravit saluti publicæ, illũ àërẽ, cũ exspiraret. Citra Minervæ cõmentũ, docuit, è vulnere nasci gloriã; gẽmeo imbre, æstimabiliorẽ fecit cruentũ. Fabios, Coclites Horatios, in VLADISLAO Po-

 me-

meraniæ Palatino, ſpectavit Vienna. Ipſa fortitudo, quæ tùm, pugnantis vultu promicabat; Mars ipſe, qui manifeſtus, frontē inſederat; nō horribiliùs fulminaret. Cave, unū dixeris. Toto vallatus bello, ſtipatus turmis, pugnavit. Oppugnabāt Virū, ceû Imperiū; Membra, ceû Provincias. Inſolitū par duelli, DENHOFF inde, hinc exercit9. Mucrone cōfecit multos, terruit ſolo aſpectu plurimos, ne, integra, ferro deberetur victoria. Ampliore affuſo Turcarum globo, & ſe quoqué jaculante barbarie, quia millena nihil evincebant tela; hoſtibus coronatus, triumphavit. Vulneratus, terrebat magìs; cùm per rimas, heros animus proſpectaret, ignea vis erumperet. Patentibus, per cicatrices, extis; certiore aruſpicio, funus Orientis legebatur. Diu ſtetit, cadentibus membris; ſic truncus, trophæū ſibi. Ægrè, lacerô profluxit corpore, cruor invicto plenus ſpiritu: faciliùs, gemma deſerit mare; quàm ille, Palatinū. Tandē, ne minori laude, immortalitati adſcriberetur infracta Virtus, occubuit, ſuæ, Thraciā immiſcens ruinæ. Sublimi Strage! in Cœlū cecidit. Sed jacens, adhuc terrori. Avulsū proinde CAPVT, Cōſtantino-

po-

polim usque delatū. Credebatur nimirum, classico militari tanquā Michaelis tuba, excitandus ad pugnā. Ingemuit, nuntio cladis, IOANNES III. Gradivus moriens, talē, suo funeri optaret gemitū. Imperatorius dolor, exarsit in furorē. Ablatum VLADISLAI DENHOFF Caput, *animū vindictæ addidit. Etsi nullo, Rex compūctus ictu, suū profūdi sanguinē sensit in Palatino. Regia est DENHOFFIORVM Vena. Ceciderūt ergo, placādis Manibus Victimæ, Othomāni. Emicuerūt armorū fulgura, auditus ferri stridor; sonitus cadentis Lunæ; sic, Magno Heroi parentatū. Nōdū tamē sepulta odia; quotquot nascūtur DENHOFFII cædē inclamāt, Magnete cōpactos crederes, ferrū attrahūt; in jugulis Thraciæ, mediā Cōstātinopoli, scrutabūtur* Caput īsuperabile bello. *Polonia verò, recētes, Nepotibus illigādo Vittas, putabit cōcisa Majorū mēbra, ostro, Trajani more, involvi; dū secures offeret Senatorias, avulsam collo frontē, revolvet mēte. Nūc etiam, Vavelli Diadematibus, vulnera DENHOFFIORVM, publicæ salutis fōtes, coronat. Adest inaugurationi, vectigalis oratio, homagiū redditura, scilicet, deducti à Serenitatibus, emblema splendoris.*



VT primùm, Orbe gemmeo circumſcribi ſe, advertit
Heros DENHOFFIORVM Genius;
vibrantiùs gemuit ſub gemma,
quàm Siſiphi oppreſſus rupe
aut montibus Enceladi.
Detonuiſſe quoq; adversùs laudantem, auditus:
Sed hæc ira, elogium ſibi eſt.
Illuſtrat veritatem, exardeſcens indignatio;
Sua loquitur encomia, dum accuſat.
Malè (inquit) mentem infractam,
fragile demonſtrat vitrum.
& profundendi ſanguinis avidos,
(dulce ſit quamvis pro Patria mori)
lacteus color.

Quid

Quid nobis cum pallore,
quem, cæli fulgurantis, timor aſperſit?
Nullus, morte obviâ expavit DENHOFF.
Scuta, mucrones, arma imprimite;
æſtimabiliores erimus ferrei.
Pugnacis animi & enſis, laus eadem:
Ideone gladius Orionis, meruit aſtra,
quia ſtellatus jaſpide?
Foratæ margaritis aures,
leonem, minimè reddunt fortem.
Ipſæ potiùs robur furantur gemmæ.
Cui incomptior juba,
nec cicurante manu tornata;
ille ſpecioſior ex horrido.
Abſtuliſti virtuti pretium,
ſi emendicas aliunde.
Corrumpis, dum, ita divitem, exponis.
Dotes animi, ſe ipſis ponderantur.
Non agnovit Roma Pompeii vultus, *Plinius.*
diſtinctos unionibus;
alios ab illo credidit.
Similior erat jugis Pirænei exciſa facies,
eviluit ſculpta gemmis.
Tot vibravit fulmina,
igneus pro Domo ſua Orator.
Sed nondum deterremur à propoſito.
Gemmei ſint neceſſe DENHOFFII; quia infracti.
Nihil magis heroicum, quàm inter fulmina educari,
ſuccenſo ad triumphum natalium Olympo.
Bello præludit indoles,
Reſonante, colliſarum nubium claſſico, concepta.
Ita verò procreantur Vniones
fæderati Cælo;
ita DENHOFFII, Marte progeniti,
quorum vagitus etiam, hoſtem terret.
Splendorem Originis intuebimur?
planè Gemmea Domus.

F totam

13

totam ſe debet ſideribus,
nec tenui ſerenatur radio:
Soles Regnorum accenſet pro Lucina:
Aliis, affines, de Cælo cadunt in ſtemmata ſtellæ,
ut illuſtre mereantur judicium Mundi;
Huic: Eſt, *Cognata Serenitas.*
Alii, Deucalionis proles,
rudi plerumq; formantur Saxo;
Animæ DENHOFFIORUM Gemmeæ.
Cedite, Pyrrhi annulo, Muſæ,
ſudat ipſe lapis, ut veſtrî notam deleat.
Gemmis deinceps imprimentur DENHOFFII.
PRINCEPS ANTISTES, Phæbo ſuccedet.
Vices Parnaſsi aget Vavellus,
pro Apollinis teſtudine; geſtatæ ſculpentur
Regni Aquilæ.

ARmatæ hucusq; laudes, aut purpureæ, in obſcuro atramenti claruerunt. Plinius. *Sceptro & gladio inſignem celebravimus Manum, non minùs illuſtri ab armorum nitore, quàm é ſolio affulgente glorià, dū* tritus caſside crinis, ad diadema venit. *Iā DENHOFFIORUM Aras, Templa ſeu idolis ſubruta, ſeu erecta Numini, poſterorū conſecremus memoriæ. Quis enim non religioni ſibi ducat, præterire impenſos Religioni labores, vota, tantùm non Animam, ut illa viveret? Iterum CELSISSIME, à Throno protenſa Familiæ linea, rectà collimat ad Coronas, diverſo quamvis tramite:* Sanctiſsimas enim Fidei cogitationes, nunquam decuit non Inet:

esse coronatas. *merentur innecti auro, adamantibus radiare, redimiri quoq; sideribus. Profusi Ecclesiæ bono sudores, Sacro veluti inungunt Oleo, ut inaugurent; regalibus colligi amant fasciis. Minimè palliata Probitas, induat muricem; emineant fastigio, qui reliquos virtute superant; excessus iste, ita plectendus est.*

Nondum adoraverat Romam Livonia, nondum (cui Oceanus quoq; famulatur) Tybri decesserat, in omne profusa nefas. Fictiles Dii, proinde rogo digni, rogabantur: Iidem simulacra fundebant atq; preces; ante manuum suarum inventa, (ùt pronum est adorare propria) exuta humanitate serpentes. & frangi difficilè potuit error, sacrilegè inflexô genu. Stabant Saxei Penates, Scopuli veritatis; palàmq; fuerat, numerosis Cælo distare lapidibus Provinciā. Humanos duntaxat vultus, incomptô silice produxit Cadmus, trahentibus Virorum faciem saxis; plus ausa infidelitas, expolivit Divinos: aspectà Gorgone virulentior, etiam Numina marmoribus rigere coègit: Caucasi fragmen, pro Iove supposuit, ùt quondam Saturno, Rhea. Fæcunda nimis mortalium

Fidei lumē Illustrissimi DEN-HOFFII accenduntur in Livonia.

inge-

ingenia! turbam Dearum, rudi protulêre cerebro: cùm tamen, una nonnisi Tonantis e Capite, nasci potuisset Pallas. Talis erat illa tempestate, Livoniæ status; collapsa omnia; turbida, exulante Fidei lumine; Latio refractaria; plus vatiniano adversùs Vaticanum succensa odio; solà inter gentiles aras grassante, peccandi indulgentià. Mens frigida, crudi homines, malè in foco sacrificiorum excocti, inferni ardoris affricti fumo. Vt ergo de rebellibus triumpharet Ecclesia, pugnandum erat DENHOFFIIS, *cum rupibus idolorum; demoliendæ superstitionis arces, nutantia ævo fana; ne salutem populorum opprimerent. Erexit se altiùs, innutrita hostium sanguini & cladibus, Tuorum, Zelozissime Antistes Avorum gloria; nec lacessere Deos expavit. Spondebatqué victoriam profligatissimi mores, ultrò porrigentibus herbam Numinibus, in horto natis. Provocatus ad certamen, Iupiter, Mars, Ianus, infamis Deorum turba; cæterùm istà quoq; acie, ipsa sibi obfuit multitudo. Exarmati, ense Gradivus, Neptunus Tridente, Idæus Pater fulmine. Scilicet id tantum deerat, ut inter* DENHOF-

FI-

FIORVM trophæa, Numinum penderet insignia; & celsioris triumphi exemplo, non de spoliis gentium, sed de scultptilium manubiis flecteretur arcus. Eversa Scipionem Africa, nonnullos Germania nutans, territa Scythia; Scythicos, Germanicos, Africanos confessa est, magno sui doloris & gemituum sensu. Vobis Religiosissimi Heroes, quod Nomen dabunt detracti Divinitatis tituli, strages Tonantis aut Mercurii? Dicemini majores Hercule; Deorum Hydram, centenis non septem Capitibus funestam, profligâstis. Manibus alii inferebantur Capitolio, tunc maximè infantes, cùm dedocente fastu, progredi nescirent. Vos in Cælum usq; devehent laudantium ingenia; & submittet blando collum oneri Atlas, illos coronaturus astris, qui dejectâ avernalium spectrorum catervâ, minùs ponderosum sibi, reddidêre cælum. Vestra tempora, æternæ præcingent laurus, in Coronam sinuatæ, prodigiosi Victores; concluso namq; vaginâ ense, superstitionem triumphâstis; omnibus è Livoniâ sublatis Ethnicis, perempto nemine. Interim, dum delubra labant, accedat Votiva Honoris vestri Templo, tabella.



Exeſte fucati Oratorum colores.
Elogium, ſuis Principibus Apoſtolis,
ſincera ſcribit Religio,
quondam Livoniæ proſcripta finibus,
deinde triumphans.
Superant humanam fidem,
DENHOFFIORVM conatus pro Divina;
audiat tamen Roma, ut credendos Orbi proponat.
Aris Digniſſimi Heroes,
Sacras, vero Numini dicârunt, ædes.
Deorum colendi ritu,
niſi evertere maluiſſent ſimulacra.

Mer-

Mercurii, aut Martis honorem,
apud Gentiles vendicare poterant;
fortes pariter ac diserti.
Sculptilium falſitatem eraſerunt, dignioribus auſis.
Proſtratus duntaxat aper, Herculem in Cælum tulit; Martialis.
at, certior eſt fama,
triumphati, DENHOFFIA Manu, Feri.
Quia ergo puduit Divinitati attribuere,
cùm nobiliora præſtitiſſent mortales;
ceciderunt ante diruta altaria,
Victimæ Dii.
Igne arſerunt,
quibus luci placuerant.
Succenſa fana,
fictæ Divinitatis ambuſſêre ſcoriam.
Serenavit Olympum fumus ille,
Arabum thure odoratior.
In ætheriam coaluit nubem,
ut, Sacri Fontis deplueret undam.
Ab Ethnicorum autem Baptiſmo,
novum, DENHOFFIIS profluxit Nomen:
Hactenus tantùm Illuſtriſsimi audiebant,
Iam Reverendiſsimi,
& ſub galea PRÆSVLES:
Antiſtitem enim Zelus conſecrat, non Infulæ.
Ab Hiſpania, ſe oriundos, memores,
Catholicam fecêre Provinciam.
Præponderavit Saxeis numinibus, Eccleſiæ Petra.
Effulſit Fidei lumen, Sacrilegis lapidibus attritis.
Iacent Idolorum fragmenta.
Adesné Divine Phidia? Collige marmora.
Iovis & Apollinis buſto, DENHOFFIOS impone vultus.
Spectantium oculis, minimè impones.
Effinge frontem auguſtiorem ſupercilio Deorum;
ubi verò, ab omni artis peccato
abſolveris opus;
inſculpe ultimam periodum:

 San-

Sanguis Præsuleus, est Christianorum Semen.
Nihil tamen decedit veritati,
quam, Caro & Sanguis Antistitis, revelavit.
SERVANTI FIDEM, reposita est Corona.
Illos autem, quot Diademata manent;
qui Fidem primi promulgârunt?

VIdisti CELSISSIME, densatos in Te, Majorum fulgores; suâ Te luce coronât; intendentur deinceps, Præsuleæ, reflexione virtutis. Promicuerunt ab Aris quoqué radii, Pietatis manibus laboratum Diadema, submisit se, placidissimæ Fronti. Certàrunt nempe cum Fortuna Religio, ut Cælis terræq; inclaresceret, DENHOFFIVM Nomen. Ingentium, compendia gestorum, annotàrunt Ecclesiæ atq; Regum fasti, profana & Sacra Historia. Neutra misit falcem in alienam messem, utrobiqué tamen, arante paginam calamo, legitur ampla Sementis famæ, sudoribus rigata vestris; utrobiq;, literarum columnis nititur Domus Regia, sublimiùs quàm Memphyticis pyramidibus; illustriùs quàm dolatis luce solidà colossis. Tot splendoribus circũfusus, lacteam Heroum ordiris viam, serenum ad fasces Paternos, monstrànte callem gloria. Vltrò prensabant Manum Scipio-

Celsissimus Princeps, Regale Sacerdotiũm, seculi honoribus antefert.

piones, clavæ, gladii. Destinabàre Consiliis & Legationibus, Pollicebaris æqualem Te Majoribus futurum. Nec vana spes populorum; nisi, aliò, Divina vertissent consilia. Eludere placuit rumorem publicum; & seculi honoribus hæredem suum salutantibus, mittere vale. Habent unde conquerantur, sanctioriq; invideant dignitati. Interim Orbis agnovit, Sacerdotium Te affectàsse non Principatum. Ardebant enim Domi, Illustres Ceræ, haûd mendicatà è sacrario luce; fumosæ imagines, annosà venustæ fuligine splendebant, quamvis thure sacro minimè denigratæ. Novimus deductum à Trabeis Nomen, exesam senio Nobilitatem, Altaribus in Te admotam; florem purpurei sanguinis, donatum Aris. Probitatem à Templo petiisti, non adversùs inclementiam fortunæ, asylum, securus paternarum opum. Pietas animum pulsavit, ut adires Ecclesiam; etiam Præsulem, non desperatio fecit profani honoris. Quibus jam laureis, quibus inũbràsset Frontem Oleis, pace belloq; parta gloria! Quot Palatinas implevisses Curules! Pulchro fastu respuisti, mẽti præcelsæ imparem, seculi pompam. Quãtum-

tumcunq; enim assurgat, decrescit Tibi collata. Hìc iterũ occurrit aliud, mundũ spernentis Animi Tui prodigium. Ipsa plerumq;, vacuis aliquà virtutum specie, à Genere laus blanditur. Ipsa natalium commendatio, tiaram imponit. Florent sub violis; quia domestico rubuissent murice. Sacro fulciuntur Scipione; quia securium aut clavæ fiduciam posuerunt; & meritis Avorum, ex ærario Ecclesiæ, præmium statuitur. Armata Patris magnanimitas, provocat filio Insulam. Si pro Aris pugnatũ; illico tanquam bello captæ, Nepotibus cedũt: nec more prisco, laurum in Sinu Iovis reponit Victor, sed Vertici Tonantis avellit tæniam, nasciture donandam proli. Displicuit nostro Principi, adeò præceps dignitatum invasio; propriis attrito virtutibus itinere; processit ad honorem; non Parentum brachiis illatus Cathedræ, ùt solet pusilla virtus, virilem figere gressum indocilis. Suæ Originis Auctor, meliorem cudere cæpit nobilitatem. Tanta gessit, quasi omne à sanguine desperàsset suffragium. Magìs gloriosum ratus fieri Antistitem, quàm nasci; sudore, quàm consanguinitate, inspergi titulos.

los. Ne Prosapiæ auctoritate, Insularum vota irritaret, nevé Celsissimi Vultûs lineamentis, linea nosceretur Familiæ; Proavis dissimilem se fecit. Vnus, omnium conjunxit virtutes, quæ per illos divisæ, stuporem colligunt. Obumbravit Stirpis nitorem, morum serenitate. Vt noscant posteri ex se genitum, distulimus hucusq;, Maximorum post Majores Parentum mentionem. Serò descendunt ad certamen, ab Antistite vocati Filio; & pietatis est, numeroso meritorum exercitu, cum illis congredi. Illustrissimus certè Genitor SIGISMVNDVS DENHOFF, lætus ab æthere cernit, se factis *vinci &* crevisse Tuis *PRINCEPS. Heros illius animus, Magni OSSOLINSKI Filiam, Consortem nactus, pari connubio fortitudinis ac sapientiæ, talem Te Patriæ dedit,* qualem Mars genuisset, Matre Minervâ. *Sed acceptà mortalitate, æternitatem reddidisti, exēpto Naturæ legibus DENHOFFIORVM Nomine, Præsuleisq; manibus, perennitati consecrato. Sic Tuo quodāmodo renascitur Spiritu, immortalis jam Pater. Seipso quidem, Seculorum obæravit memoriam ad Zborovum, ubi prodigà sui*

Biennio pro Patria obses.

Barclaius.

certans dexteritate, tantùm non animam erogavit. In Manus tandem hostium devenit, qui Civium corde portabatur; & pro Patria Spontaneus obses, uno se, plùs quàm cleopatræis unionibus, integritatem publicã redemit. Coràm, spectata virtus, extorsit à Barbaris reverentiam; timebatur licèt inermis. Non aliter horrorem incutit, caveâ inclusus leo, ipsoq́; terret gemitu. Non aliter, tenebroso nubium carcere, pressum fulmen, pavidam quatit mentem, laceratoq́; Cælo, tremente proruit mundo, vix non fatali, in quo claudebatur, Olympi ruinâ. Stupent adhuc Scythicæ rupes, Illustrissimi Parentis Tui, Marpesiâ caute firmiorem constantiam. Gloriosior celebrabitur suo carcere, quàm Romani Cæsares, Capitolio. Nimirùm: adversa Magnorum fortuna, ampliorem felicitate multorum, auctoritatem allinit. Odium Iunonis, Herculem in Cælum tulit; Socratis caverna, palatiis Regum eminet. Tantus erat CELSISSIME! ut fuisse Tuus meretur, Pater. Ne tamen credatur in Tuam vixisse dignitatem; vincitur Hæredis virtute, ceû Saturnus Filio Iove; aut lux primigenia, succedaneo Sole;

&

& prole gemmeâ conchyliû. Adeò feliciter; inchoata cum Majoribus contentio, nescit terminari. Prætergressus Patrem, superas Avum, in triumpho ducis OSSOLINIVM. *Quantus Vir, Orator, Tibi palmam & fasces eruditionis concedit? Novit Roma, Tullium perorasse arbitrata, cùm arrectis auribus, blandoq; annutu, tanquam Legatus Poloniæ, ab Orbis Capite audiretur. Et hucusq; bene audit. Equidem* CELSISSIME, *ex quo juventæ prætextam induisti, Avum indueras. quidquid politiori (hoc est, à teneris, usitatâ Tibi) Suadâ proferres, persuadebas loqui* OSSOLINIVM. *At crevit cum annis, victrix eloquentia. Plures exterorum adiisti soles, ac in Te collegisti, ut fieres lucidissimum Sapientiæ sidus, imo constellatio quædam solaris. Fuerint sanè stellæ, quotquot erudiebât, Tu Phœbus. Talem adoravit Romanus è S.I. Professor Martinez, dum, Theologum Aquinatici solem pectoris, Tuo inseri posse judicavit. Quibuscunq; animi dotibus regnat peregrinus Orbis, Tuæ mentis imperio subjecisti omnes. Gravitatem Hispanam, Italiæ acumen, puritatem facundiæ supparem*

Eruditio Celsissimi, laureis coronata.

Gallorum liliis, habes ad nutum. Spectat in Te festivè ludentem Gallum Hispanus, & amat; profunda meditantem Hispanum, reveretur Gallus; uterq; Polonum veneratus, agnomini, laudibus infert Polo. Parum erat remotiores petiisse terras, dissitissima lustrâsti tempora; quæ longo retro, annorum lapsu abiêre, rursus revocas, & præsenti concludis intuitu. Regnorum originē, bella, victorias, clades, quidquid infans adhuc egerat Mundus, senescenti tam scitè narras, acsi, vagitum nascentis, audivisses. Citra annos Nestorem fecit, antiquitatis peritia. Hæc est eruditorum æternitas, momento seculorum complecti negotia; mundi ævo, ætatem computare suam; totidem vivunt annos, quot, imitandâ curiositate evolverunt annales. Animi senectus, vetustatis notitiâ, non canîs paratur. Historiarū peritissimus, in nulla pereginus es arte. Capaci Infulatæ Mentis Capitolio, recipis universas, & fecisti domesticas. Excludunt se alibi, angustius nactæ hospitium; rarô exemplô, una sede morantur plures; hìc, patiuntur consortem. Vtcunq; enim sese dilatent, nondum ingenii amplitudinem exæquant.

quant. Explicat naturalis ſcientia, terræ ambitum, nec Te obruit; aſſundit Oceanũ, nec implet; Cælum, Solem, Sidera diducit, & apparent minora. Philoſophicæ vaſtitati, junguntur Eloquentiæ Campi; Muſarum Parnaſſus annectitur. Hunc veluti aggerem, Theologicum alluit mare. Romanus Cicero, fluminibus contentus Oratoriis, Hypocrenen aut Eurippum, vix guſtavit. Platonem Divinum, humana plurima latuerunt. Horatii, Marones, ligatis aſſveti pedibus; ſoluti verborum vinculis, minùs liberè inceſſerunt. Vnâ ſui duntaxat parte, iſtos occupavit ſapientia, impar ſortita Caput, cui ſe totam inferret. PRINCEPS noſter, laureatus Vates, idem Orator, Theologus, omnis eruditionis compendium; niſi malueris, potiùs tanti PRÆSVLIS Epitomen, ſcientias cunctas appellare, utpote minores. Quis verò, pari prædicet ore, illum dicendi nitorem: cui ſe millena impreſſit venuſtas? Mellitæ plerisq; apes, Hyblam aſſudêre, acerbiorem temperaturæ Svadam; Te PRÆSVL, primas formare voces, docuerunt Gratiæ. Ambroſios, Aureos, Doctores audivimus; Tibi,

mei Oratoris titulum reservavit Minerva.

Accessit opibus animi, docta liberalitas; recentia semper, inexpectata dignaq; adamãte notari, audientiũ Coronæ accumulas, minimè pavidus, ne dives vacuetur gaza. Et quæcunq; largiris, Tua sunt; non libris erepta, vel apud ignotos Auctores commodata. Sudat Orpheus, Alexandri lauros encomiis rigaturus; diem solidum, paucis Virgilius insumit carminibus; ut pretium mereatur Oratio, ferreo conatu ceû ab aurea Hersonesso metallum, effoditur. O parsimoniam! o duritiem ingenii! Puncto temporis, plura, meliora donat, Eruditissimi PRÆSVLIS perennis facũdia; singulæ voces totidem sunt gemmæ, adstantiũ auribus inserendæ. Mutasse creditur belli apparatũ Pallas; rigebat olim ferro, asperaverat frontem casside, umbone latus; positò jam clypeo, muricem circũdat & Infulam, ore Præsuleo loquitur. Suã vicissim cedit tæniã, hastâq; pro Pastorali Scipione, ùt quõdã elaborãdæ Herculis clavæ, oleã submisit. Admitte CELSISSIME Munus exiguũ. Doctarũ Corona frõtiũ, accedat Diadematibus Vavelli. Sic PRÆSVLVM GEMMA, simul radiabit auro, simul foliis floribusq; eruditis inumbrabitur.



THaumaturga PRINCIPIS eruditio:
Polonis, OSSOLINIUM;
Tullium, Latio;
Græciæ; Demosthenem;
revocavit ad vitam.
Revixisse creduntur, Illo spirante.
Parum fuerat restituisse Animam;
Fidem addidit.
Musas fecit Christianas,
Catholicam Palladem,
& de profanis Oratoribus, Sacros.
Dicimus nempe:

Infulâ Magni DENHOFF, Ciceronis Caput coronatur,
ſed Orthodoxam Religionem promulgat.
Regnat Ariſtoteles ſub Tiara:
ſolidiſsimè tamen, Ethnicos oppugnat.
Quanta ſvadæ prodigia!
Placet, reliqua ſtylo perſequi?
CELSISSIMVS DENHOFF,
Mercurii Serpentes tollit, innocuâ Manu.
Nec, transferre montes, ignorat:
Hæmum, Parnaſſum, ad Polonos deduxit cum Apolline;
Muſasq;, pro Caſtali,
Viſtulæ aſſvefecit.
Paucorum miraculô,
abſentûm auribus illabitur;
apud remotiſsimas auditur Gentes;
intra Regni Viſcera dicenti,
annuit ORBIS CAPVT.
Illud verò, nonné ſtupendum?
ſæpe, homines mutavit in ſaxa;
Hærent immoti, totidem velut ſtatuæ,
triumphantis Eloquentiæ.
Intentiſsimum Auditorem, abripit quaſi à ſenſibus,
deinde reſtituit meliorem.
Iam varietas affectuum,
ſanè admiranda occurrit.
Metus, amorem, dolores, occupavit;
quoties aſcenderet Roſtra.
Timent Vitia:
utpote, haûd ſemel exanimata.
Pallent Eruditi:
conſcii, ſuam obnubi gloriam.
Scilicet: extingvuntur ſtellæ, Oriente Phæbo;
at, CELSISSIMVS PRINCEPS,
Sol eſt Oratorum.
Timemus omnes:
nè, citiùs concludat ſermonem.
Vtcunq; prolixior videatur,

brevem

brevem fuiße persuadet
audiendi fames,
acutè ludentis svadæ leporibus irritata.
Hinc irascitur sibi,
nec ponit dolori finem;
si quis epilogo duntaxat, tardus advenerit.
Tempestivam, cæteris invidet præsentiam.
Querelis, admiscet encomia:
Sapientissimus DENHOFF,
eripuit omnem lauream Apollini.
Cujusvis literaturæ famam, depressit.
Herbam illi porrigant Hortensii.
Vltro, submittat Pallas Hastam,
antequam coacta, ingloriè cedat.
Non suppetunt Gemmæ: non Diademata?
Præcingat Olea, Doctam Frontem.
Æstimabitur Corona,
ipsius, MANIBVS CONTEXTA MINERVÆ.

JAm, CELSISSIMVM PRINCIPEM inauguraverat Pallas, prodromâ Coronarum Oleâ. Si meritum pensamus & scientiam, Rex imò ex utroquè Cæsar, in Republica sapientum dici poterat. Nondum Senatoriis, at ingenii fascibus eminebat; superabat Tiaras Docto Capite. Ea certè sincera est magnitudo, citra supposititiam basim, seipso assurgere; alioqui pusillam fateri cogimur virtutem, quæ, nisi extraneo erigatur fastigio humi repit. Adeò sublimis eruditio, studia omnium facilè pertraxit & amores. Ingeniorum Gemmam,

ſuffurari ſibi decreverunt publica negotia, dignitates. Etiam cæcutientis fortunæ avaritiam, ſolicitavit pretium Viri. Sed eripuit cunctis ANDREAS OLSZOWSKI *Primas Regni, Primus Princeps atq́; Rex Sacrorum. Lateri admovit ſuo, quia Cor* OLSZOVII *erat Illuſtriſſimus* DENHOFF. *Referendarium nominavit, ipſe viciſſim virtutum illius Referendarius. Quàm præcelſa, auguſta, præſago nuntiavit Ore! ſingula comprobavit eventus; non tamen oraculi vim habuere. Quis enim vatibus adſcribat, prædicentem craſtini ortum ſolis, vel diem futuram, adveniente Phæbo? Splendoris neceſſitas, non eſt præſagitio. Pariter Noſtrum* PRINCIPEM, *auge honorum, meridie dignitatum radiare, debitum inevitabile cenſetur ac natura, non ſors fortuita. Deliteſcunt plerumqué aſtra minora, ſub luminoſi exortum ſideris; nec armatus Orion, in certamen fulgoris, Lunam provocat; conſcius, malè opponi ſcintillam, radiorum incendio. Magnum Poloniæ Sidus Archi-Præſul* OLSZOWSKI, *obſcuravitné Te Antiſtes? quin clarior evaſiſti, æmulâ luce. Patuit è proximo, ve-*

Referendarius Primatis Regni.

ſtra

ſtra non Illuſtriſſimi tantùm Sanguinis, ſed animorum quoq; cognatio. Iam tùm, OLSZOVIO par eras; nonniſi tiara, ille major. Si aut Tu, Primatialem induiſſes purpuram, OLSZOVIVM dixiſſemus: aut ſi exuiſſet is muricem, ALBRACHTVS DENHOFF crederetur. Nec immeritò, promovendus aliquando ſupra Coronas, apud eum, exordia poſuiſti Munerum, cui debetur jus coronandi. Irruit deinde Primatis Aulam, violentus Honor, ut Te, publico vindicaret. Delicatiùs (ajebat:) incumbent tiaræ, dùm ſuper DENHOFFIAM Frontem, ſternuntur Oleæ; virorem hunc ſequatur maturitas purpuræ. Cui Oleum affudit ubertim Pallas, Epiſcopali ungatur Olivo. Inter Laureas, nidum ponant Aquilæ. Accendat Regni Ceras, doctrinæ flamma. Convolabat in ſinum Eccleſia; exſpectabant Cathedræ Paſtorem; protelaſti deſideria, Inſulas rejeciſti ſupplices, & faſcias; virili plane animo dedignatus infantiam dignitatum. Quæ Tua PRINCEPS modeſtia! quàm profunda, Sacræ Sacerdotum auctoritatis reverentia! ne aliquantùm illi præjudicares, per ſaltum

M *nolu-*

Initia dignitatum.

noluisti ascendere. Primùm ergo malueras Canonicus appellari Posnaniensis, cùm potuisses dici Antistes. Cracoviensi, Canonicorum item, an Episcoporum? receptus gremio.

Encomiũ Ill: & Reverendissimi Capituli Crac:

Equidem Vavelli Collegium, semper erat perennis Præsulum vena, Insularum Fons, Oceanus Gemmarũ. Stirpe suà, Ecclesiæ Majestatem, per universam propagavit Lechiam; implevit Senatum, Curiam, Tribunalia. Inde poscuntur ad Tiaras Capita, ad Cathedras Viri, ad murices. Neq; diu meditatur Honor ut eligat; quemcunq; requirit, certũ est ad violas nasci. Profusus Martyris STANISLAI cruor, tingendis abundè sufficit purpuris. Perge Dignissime Cætus, quà cæpisti Provinciarum felicitate. Præstolantur Vittæ, Suborna plures, Musarum Virtutumq; præsidiô, laticlavio destinandos. Ampliùs vovere non possumus; Pares da Magno DENHOFF. Ab uno illo, gloria & æternitas Tua promanat. Adhuc Præsuleum declinabat Nomen, PRINCEPS Noster; æternam tamen sibi, publicæ justitiæ obligavit gratitudinem, quòd in Sarmatiæ Areopago, Themidis Antistitem egerit. Quà Sanctitate?

pru-

Prudentiâ? Non justiùs Astræa decerneret. Vitâ magìs judicabat quàm sententiâ; cùm perversos damnaret mores, in nullo culpâdus. Fulminabat sed æquitatis manu, non suâ. terrebat, sed legum vultu; exuisse affectum creditus, ubi judicio decidendum. Sæpius tamen tractavit Lancem præ gladio; librabat momenta rationum, antequam feriret. Nemo DENHOFFII impulsus Dextrâ, causâ cecidit. Actori & Reo, dividebat aurium subsidia. Ita divisus, dicite superi: nō merebatur membratim cæsi tenere sedem STANISLAI? Tandem, intaminatissimo Iudici, diem dixit Sol Podoliæ; fregit reluctantem modestiam Camenecensis Tænia; ex hostico adveniens, aureâ torque illigavit, strinxit Annulo manum. Oppugnata Vrbs Polonô Marte, applausum bellicîs fulminibûs, dedit electioni. Tristi ululatu, timere se Pastorem novum, fassi, Odrysii canes. Repetet (sic plangebant) armis Civium, Consanguineo Regali ense, Cathedram; ascendet attritis Bessi cervicibus. Sed mutavit consilia, moræ impatiens honor; Aquilas Regni ac Premisliensem submisit Provinciam. Nimirum: nullus*

Episcopus Camenecē-sis.

Mox. Premisliensis.

 Prin-

Principe DENHOFF altior, comparere voluit; si major offerretur Infula, Camenecensem opponebat PRÆSVLEM, illi jure deberi protestatus. Ne igitur lacesseret verecundiam cæterorum; suam coactus remittere. Hæret, tanquam in cera calamus, impar laudibus earum, quas communi Reipublicæ Bono flexit Ceras. Premisliensium quoq; felicitatem, vota prætergressam, consequi nimis arduum. Quid, Premisliensium? excessére Dioecesis limites, emolumenta, Romam protenduntur; pro Infula, Vnione locupletant, Annulum Piscatoris. Pridem se ab Ecclesiæ Capite avulserat Russorum pertinacia. Ne Petræ adhærerent; persvasit durities animi, & rebellis Occidenti oriens, quem, Persarum more, tantum non adorabant. Ne diutiùs manerent acephali; ingenio stetit & prudenti PRINCIPIS pietate. Ille Dux hujus consilii, Innocentius WINNICKI comes. Copulavit sibi ad concordiam Innocentios; Græcum, Romano. Efficaci convicit svavitate: non dissiderent, quorum conveniunt Nomina. Arridet hucusq; blanda temporis facies, quando Cathedralis Premi-

Russos, Latio conciliat.

mistiæ Basilica, Græco Ritu pro Latio supplicem spectavit ad Aras WINNICIVM, audivit è suggestu Præsulè DENHOFF; cujus tum Ore, Graja loqui & Romana vetustas visa. Chrysostomum putabat Græcus; Latinus, Augustinum. Sic adjectâ Petri clavibus Roxolanorum Ecclesia, januam, famæ Principis patefecit. Hoc uno monimento, à mortalitate asserere se potest. Quoscunq; tunc eliquavit sudores, coaluere in gemmas Pontificii Tiaræ. Quia verò augustam meritorum molem, Premisliensis Insula complecti non poterat, sponte se ingerebant aliæ. Iam Varmia, jam Vladislavienses poscebant Vittæ.

Vnius, commodis Ecclesiæ invigilare, haud debuerat; qui tam gloriosa egit pro Vniversa. Itaq;, prætenso in Emeritissimos quosq; jure, Vrbs Orbis Poloni Caput Cracovia, extorsit à Superis: ut subito Celsissimi Principis STANISLAI DĄMBSKI fato coactas nubes, Novum Purpureumq; Iubar irradiaret. Liceat in Sinu Tuo Magne DENHOFF, deflere mortem immortalis Viri; facilè siccabis lacrymas, meridie Virtutum. Liceat illius encomia per-

Succedit Principi DAMBSKI.

25

miſcere Tuis. amas laudes alienas, & amando feciſti Tuas. Optimus profectò Antiſtes: viam ad cœlum, abeundo monſtravit. Tantùm Tibi decedebat, ut è vivis etiam migraverit. Vavelli Coronas ideo accepiſſe credetur, ut, eâ quâ Sereniſſimum Auguſtum inauguraverat Dexterâ, majeſtuoſiùs Tibi ſubmitteret. Dubii hærebunt Poſteri, cujus veſtrûm Ducalem Frontem, orbata Celſiſſimo MAŁACHOWSKI, colligaverit Tænia; Tuamné PRINCEPS, an DĄMBSCIANAM? Breve illius faſtigium, ita glorioſè, Vos conſudit. Hìc, arcana cœli, reverenter contueri placet. Geminum, Ioanni MAŁACHOWSKI ſuccedaneum Præſulem, deſtinavêre ſuperi. ſimul tamen æternâ ſancitum eſt lege: quem primum, ſupplex adoraverit Craciæ Tiara, illi duntaxat cedet in titulum ſepulchri; at verò, cui ſecundo minusq; præcipiti adveniet paſſu; diu exſpectabit Succeſſorem. Fidem dicto, conciliavit magnâ parte, Emeritiſſimi Deceſſoris mors funeſta, & calculum adjecit ab urna; confirmabunt deinceps, affuſæ Aris pro incolumitate Tua, populorum voces. Iam, noſtra commutavit Vota,

Iubi-

Iubileum; jam, desiderantibus unum, sufficis pro duobus: neq; luctum sed virtutem, ex Principe DĄMBSKI permittis manere superstitem. Provehere supra DIADEMATA VAVELLI, PRÆSVLVM GEMMA. Salutant Te, Regum Exuviæ. pari prosequuntur animo, Vivi & demortui Reges, aut potiùs invident superstiti Throno, manes coronati. Adsternit Præsuleis GEORGII pedibus, draconem suum Cracus. Vistula, magis gloriæ quàm undarum sonitu desluens, pro Neptuni tridente, ALBRACHTI remo impelli se amat. Ille vero Auratus Zodiaci Aries, qui Tuis olim præluxerat cunis; intonsum hucusq; vellus, atq; fulgentes permittit secari jubas; ita, divite lanà, fortunato stamine, longum Principi, nebunt Parcæ ævum. Publicis plausibus, accedit Societas IESV, & Tua; quam singulari Clementià, Præsuleo contegis Ostro, Majestatum tutelæ insinuas, omnibus Regni commendas Ordinibus, ùt Tuam. Perhonorificum Sapientiæ Tuæ de nobis judicium, in omnem consequentis ævi memoriam, religiosà mente, pro corona deferemus. Recensebas non pridem,

Tuæ consecratas Insulæ, totidem Societatis Domos, quot Orbis partes. Plures nunc, quà soles, tuêre Benevolentià. Quoties, aut dicatà Principibus Apostolorum luce, Regali Te initiatum Sacerdotio; aut Illustrissimum Parentem SIGISMVNDVM, *&* *Cardinalem* RADZIWIŁ, *primum inter Craciæ Antistites* GEORGIVM, *revolves mente; occurret memoriæ, Noster Petrus; hunc,* REX SIGISMVNDVS, *à fundamentis erexit;* GEORGIVS RADZIWIŁ, *primo stabilivit lapide; Vterqué,* GEORGIO DENHOFF, *Regum Sanguini, Sarmatiæ Amori, protegendum commendat.*